UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Censvra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Visual Library

fontibus, loquatur, aliorum esto iudicium, uere dicitur: quo quis indoctior, hoc audacius & proponit & iudicat.

PROPOSITIO XLVIII.

NVlla creatura potest uel saluare uel damnare.

CENSVRA.

REpugnat sibi, fixo pede tenet fidem saluare, quæ est creatura. Item homo saluat hominem, 1. Cor. 9. 1. Cor. 9.

CONDEM. CENSVRAE.

IN apologia de hac propositione abunde dictum est: Solus Deus creat, saluat, damnat, creauit per uerbum, saluat per uerbum (qui est Christus) credentes in eum, damnat per eundem incredulos propter peccatum. Etsi autem fides sit creatura Dei, tamen non saluat quatenus creatura aut qualitas est, sed quatenus apprehendit meritū Christi, omnia misericordiæ Dei tribuens. Sed opponit: Homo saluat hominem. Respondeo: Homo saluat hominē ministerio, non potestate quæ solius Dei est, qui est saluator omnium. Paulus (inquit Frater) se saluauit per bona opera meritorie. Dixi Monachis, quo in loco sit Christus. Salus tua ego sum. Ego feci, ego feram, ego sanabo, ego saluabo. Deum extra me nescies, & saluator nō est præter me. Sic Paulus omne meritum proprium pro stercore ducit, & docet non gloriandum in hominibus, sed qui gloriatur, in domino glorietur. Tantum in Christo sperantes sumus, 1. Cor. 15. Nulla profecto 1. Cor. 15.
lingua sufficit ad retundendam istorum impietatem, & blasphemias, quibus Christo honorem suum eripiunt.